

Illustrissimus ac reverendissimus dominus visis omnibus videndis immediate discessit et se contulit ad conventum patrum Servorum beatae Mariae Virginis loci Belgodere. In dicto loco extat etiam oratorium Sanctissimae Virginis Annunciatae, quod omnibus necessariis munitum est.

Est etiam aliud oratorium extra dictum locum pariter sanctissimae Annunciationi dicatum et alterum sancto Sebastiano, ad quae nemo nostrum accessit attendente tarditate horae, [74r] et etiam eo quia non omnia possunt a visitatore apostolico in transitu visitari, sed id ad ordinarios spectat, utpote qui semper in sua dioecesi consistunt nec sunt tot tricis implicati.

Die 11 dicti illustrissimus ac reverendissimus dominus mane hora 14 accessit ad ecclesiam parochialem Sancti Thomae loci Belgodere, ubi fuit reverenter receptus a reverendo Ioanne Baptista Leoni oeconomus, ibique praemissis omnibus de more celebravit missam. Mox habuit absolutionem mortuorum et deinde pontificaliter indutus visitavit sanctissimum Sacramentum, quod deprehendit optime retentum, et altare ornatum multis luminibus ultra morem horum regionum; et populo eodem benedicto, longo eum sermone alloquutus fuit, collaudans eius pietatem quam habet erga sanctissimum Sacramentum.

Etiam baptisterium et sacra olea munda sunt. Recognovit altaria, quae sunt quinque. Maius dictum, sanctissimi Sacramenti; secundum, sanctissimi Rosarii, in quo erecta est [74v] societas (etc.); tertium altare seu cappella beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo, de iurepatronatus haeredum quondam ducis Iacobi et signiferi Ioannis Iosephi, a quibus manutenendum est, prout ex instrumento quondam Christophori Bartolini notarii rogato de anno 1690; quartum, sancti Marcelli; quintum, sancti Antonii Abbatis. Praedictum altare particularium, reliqua altaria, fabrica ecclesiae, sacra suppellectilia et caetera omnia manutenenda sunt a populo, ac tertia pars subministranda est a monachis Olivetanis, de quibus modo (etc.). Itaque tam dicta altaria quam ecclesia ornate et munde sunt retenta; ex quo illustrissimus dominus laudavit populi pietatem eumque ad proseguendum etiam in posterum hortatus est.

Hoc beneficium est de iurepatronatus reverendorum patrum Olivetanorum venerabilis monasterii beatae Virginis Mariae Gratiarum Porti Veneris Serenissimae Reipublicae Ianuensis, prout in inventario, ad quod semper (etc.). Ipsi autem dederunt redditus huius beneficii, cuius titulus est sanctorum Marcelli et Gavini, in emphiteusim ad tertiam generationem, et tempore investiturae fuerunt persolutae librae 4000, et in quolibet anno qui retinet emphiteusim persolvit dictis patribus seu monasterio libras 300.

[75r] Dictus oeconomus habet pro certa mercede libras 60, quae persolvuntur a dictis patribus; tamen cum reliquis incertis retrahit semper libras 150.

Familiae sunt 118. Sacerdotes 12. Animae 752. Altare privilegiatum altare maius. Et ita (etc.).

Successive illustrissimus dominus visitavit oratorium seu casazza sub titulo sancti Stephani Prothomartyris illudque deprehendit bene retentum, et iterum laudavit eorum pietatem. In eo erecta est societas aggregata archiconfraternitati Urbis sancti Marcelli, prout ex bulla. Confratres cum saccis sunt 80. Et ita visis omnibus ad suam residentiam rediit hora 18.

[...]

[76r] Die 12 illustrissimus dominus hora 16 iterum perexit ad ecclesiam parochialem loci Belgodere. Celebravit missam, qua completa et praemisso sermone a reverendissimo patre theologo de more (etc.), sacramentum confirmationis tam masculis quam foeminis impertitus fuit; et hora 18 functionem persolvit.

Tum ad suam residentiam rediens habuit visitationem ecclesiae Beatae Virginis Mariae, et sequenti die complevit, prout ex actis, ad quae (etc.).

[...]

Pro ecclesia parochiali Sancti Thomae loci Belgodere

Lapis sacer altaris sancti Antonii Abbatis interdicto subiaceat, donec alter apponatur.

Fiat velarium ad cooperiendum iconem beatae Virginis Mariae sanctissimi Rosarii et stragulum pro mensa intra tres menses, sub poena librarum triginta.

Auro liniatur calix parvior intra tres menses, et interim interdicto subiaceat.

Omnes planetae simplices restaurentur ubi opus est. Caeterum cum illustrissimus et reverendissimus dominus ecclesiam decenter retentam **[78v]** invenerit et altare maius multis luminibus ornatum, populi pietatem laudando ad perseverandum hortatus est.

Pro oratorio Sanctissimae Crucis dicti loci

Purgetur lampas et faenestrae instruantur laminis vitreis intra tres menses, sub poena librarum decem.

[...]

[299v] [...]

Die 12 martii illustrissimus dominus posquam (*sic*) rediit ab ecclesia parochiali Sancti Thomae loci Belgodere visitavit ecclesiam Sanctae Mariae Gratiarum Servorum eiusdem beatae

Virginis Mariae dicti loci; itaque praemissis de more, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime asservatur, eoque populum benedixit.

Hinc a patribus et a laicis debitum obsequium tributum fuit Dominationi Suae illustrissimae et ita attenta tarditate horae ad cameras dicti conventus, in quo residebat, se recepit.

Post prandium visitavit altaria, ecclesiam et suppellectilia, quae bene retenta sunt. Die sequenti celebrata missa ascivit omnes patres in cubiculum et omnes absolvit. Longo sermone praescipsit eis nonnulla ad bonum regimen monasterii, obiiciens eis ante oculos quae de ipsis patribus a saecularibus loci deferebantur, ex quibus perpenderent et vererentur ne huic monasterio et ipsis eveniret quod alteri sito in plebe Ampugnani sub titulo Sancti Antonii eorum instituti contigit ob minus laudabiles mores religiosorum. Deo adjuvante plurimum valuit haec admonitio, namque patres conciliarunt inter se in publico refectorio eadem mane, et alterum patrem a via minus probata, saltem ad hominum oculos, revocavit.

[300r] Eadem die post prandium peracta fuit visitatio personalis omnium patrum, prout ex actis, necnon illustrissimus dominus recognovit officinas, cameras et cetera omnia. Extant etiam tres camerae in inferiori parte, quarum ingressus publicae viae respondet, nec habent aditum ad interiorem conventus; in ipsis retinent olivas et molam ad eas confringendas et torcular. Illustrissimus dominus eas serio visitavit et deinde declaravit eas non comprehendi intra septa monasterii, motus etiam a necessitate monasterii habendi dictas cameras pro huiusmodi negocio, alias summo incommodo et expensis eas alibi construere cogeretur. Et ita (etc.).